

Ultima laus non est, si, quem Generosa Propago
 Extulit, atq; ardens erexit ad athera Virtus,
 Cecropie egregiis madidum Latiq; Minerva
 Artibus, atq; aliis: certè fert omnia puncta.
 Te, Comes, Illustri qui stemma ab origine ducis,
 Te volo: Te Pallas doctis nutrit in antris,
 Te sacro à teneris aluerunt lacte Camæna,
 Doctus adhuc vario Te nectare potat Apollo.
 Propterea alta seris sublimi sidera cæli
 Vertice, doctorum volitasq; per ora Virorum.
 Gemma* litera erunt, si porro strenuus illas
 Tractaris, Comes ò comis. Sit virvida Virtus!
 Aure capace etiam Tua Vota Precesq; POLARCHA
 Ambibat, ac placidus mentem placidam atq; quietam
 Qua jus humanum Diuinq; intelligat, usque
 Ad finem vita Tibimet concedat ab axe,
 Ut, quando dulcem Tibi cunq; relinquere vitam
 Precipiet, cum laude Viri famamq; decusq;
 Factaq; perpetuò celebrantes carmine maent.

* Literæ plebejis
 sunt argentum,
 Nobilibus Aurū,
 principibus Gem-
 maz.

Johannes à Felde.

F I N I S.



M. F. CAMIL-
LUS,

AD

PANEGYRIN ALMÆ
ADSVEVUM,

IN ACROATERIO PHILOSOPH.
MAJORE,

A. D. CALEND. DECEMBR.
ANNO CID IDC LXIII,

LAUDATUS

A

GUSTAVO GUILIELMO DE ROCHAVV,
Equite Marchico.



TTPIS BECMANTIANIS.

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,

**DN. FRIDERICO
GUILIELMO,**

**MARCHIONI BRANDENBUR-
GICO, S. R. I. ELECTORI ET ARCHI-
CAMERARIO,**

SUPRFMO BORUSSIÆ DOMINO,

**MAGDEBURGI, STETINI, POME-
RANORUM, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM,
CASSULIÆ & VANDALORUM, IN SILESIA GROSNE
& CARNOVIÆ DUCI,**

**BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ,
& CAMINI, COMITI MARCÆ & RAVENSBER-
GI, DOMINO in RAVENSTEIN, LAU-
ENBURG ET BUTAVV,**

*PRINCIPI AC DOMINO MEØ
CLEMENTISSIMO,*




PRIMITIAS
HAS ACADEMICAS,
NON
QUOD DIGNUM SERENITATE EJUS
MUNUS
AUT HOC ESSE,
AUT ULLUM OMNINO
ME OFFERRE POSSE,
VANE CONFIDAM,
SED
UT HUMILLIMUM EIDEM AFFE-
CTUM TESTATUM FACIAM,
B. PARENTIS, MINISTRI
QVONDAM FIDELISSIMI,
MEMORIAM RENO-
VEM,
MEAMQVE ADEO ORBITA-
TEM COMMENDEM,

HUMILLIME CONSECRO

SERENITATI EJUS

Eternum devotus

GUSTAVUS GUILIELMUS de ROCHAW.



I virtutis, si rerum gestarum gloriae M. Furii Camilli in teresset, quae quisque de eo loquatur; reprehensionem Eruditorum omnium, vestram imprimis, Patres Conscripti, Quirites Literarii, merito vererentur. Virum Dominae terrarum Gentis summi dicere paro, apud arbitros literatissimos, ipse, rerum usu dicendi quae facultate, tanto conatus per aetatem impar. Debuerat ludibrium atque cachinnum, spectatori populo Actyanax, actor caetera non ignobilis, quod, parum decorae ob inusitatum brevitatem staturae cum esset, corporis habitu Heroum Trojanorum speciosissimum, Hectorem, saltu efficturus in scenam prodiiisset. Ephesius Phormio, Philosophus Peripateticus, cum apud Annibalem plures horas, de Imperatoris officio & de omni re militari differendo, consumeret, hanc Poenorum maximi notam commeruit: Multos sibi deliros senes visos, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, neminem. Nimirum adeo absurdum prudentissimo Pœno visum, de rebus, quarum naturam satis perspectam non habes, apud peritiores verba faciendo, praeclearum rerum notitiae famam aucupari, ut stultitiae primas audenti assignaverit. Verum ne idem a vobis, Auditores, metueret habeam, diversum quod mihi in praesens est, institutum facit. Majus temporum intervallum Camillum nosque discludit, quam ut penes quenquam nostrum sit, laudi ejus vel addere quicquam, vel detrudere. Periculis metum pariter atque auxiliorum spem vicini ferè faciunt. Quos vix de nomine notos itinerum longinquitas determinat, in super habentur. Parum ad modum laudem vituperiumque actae vitae memoriae consecrandi opera aut iis sumenda, quos nascendi fors communibus vitae temporibus conjunxit, certè non nimium distantibus disjunct; aut nemini. Defuncti in virtutibus Camilli exponendis hoc labore, ut in rebus commendationem omnem antecedentibus, Autores gravissimi. Horum vestigia legere, tantarum sine exemplo virtutum admiratio compellit. Rei difficultas, abjectorum animorum terriculamentum,

A.

adeo

adeò non absterret, ut potius spe voti consequendi invitet. Neque enim vel operam collocare melius est, atq; in arduis; Vel compendiosior virium explorandarum, id quod mihi in præsens agitur, ratio, quàm ista moliendo. Eo homines vitio laboramus, ut, quæ amoris, quo in nos ipsos vehementissimo ferimur, impotentia est, nec quicquam nobis, quàm nosmet ipsi, nec nos cuiquam, quàm nobis ipsis, placeamus impensius. Lapsus non alios excusare promptiores, quàm nostros, fumus. Nostra admiramur quàm maximè, quàm facillimè. Ex muscà elephantum, ex elephanto nuscam facere, nostro in nosmet ipsos affectui proclive, quàm quod maximè. Quæ ab aliis gesta elevamus, despiciamus, culpamus; à nobis confecta laude, honore, triumpho ducimus quàm dignissima. Ut præcipitium sint proximi, qui faciliora expeditu sibi destinant negotia: Nunquam admonendi imbecillarum virium; quin præcipites agendi ad vanam sui opinionem. Ast tutiorem viam ii terant, oportet, qui, perspectâ communi labe, in sublimi positas cursui præfigunt metas; comparando, quantum, contentissimè licet currentes, ab ultimâ curriculi linea ante vertantur, virium modum prudenter æstimaturi. Quo consilio cum mihi hoc, quicquid est, institutum sit, Auditores Optimi, simul quoniam meâ causâ aditum huc ferre non fuistis gravati; non despero, vos animis mihi asuturos, audiendoque operam duros. Dabitur argumento, dabitur instituto, dabitur vestræ in immerentem me benevolentia, quod balbuties mea meretur nulla. Certe, ut faciatis, enixissimè contendo. Laudes clarorum Virorum, amplè dicturi Oratorum vulgus, ingentem encomii argumentorum numerum conquissivisse satis habent, de pondere vix solliciti. Hinc ab natali solo, à parentibus, à gente clarâ, quæque alia his gemina se offerunt, nunquam fere ipsis non proficiscitur orationis ferries. Consuetam hanc omnibusq; tritam viam, si mihi etiam insistere esset animus, quanta verborum materiâ augeter! Quantum oratione evagandi campum nanciscerer. Sive enim Patriam Nostri spectemus; Româ, orbis triumphatrice, oriundus est. Sive genus quæramus: Patricio ortus est, Romæ, inq; geminis huic Rebus publicis, principe. Sed cumulent sanè has laudes, quos infelix argumenti sterilitas compellit. Mihi certè integrum non est, verborum copiam laudandò M. Furio, patriæ servatori exemploq; virtutum sine exemplo, inde petere, uude ipsi patriæ pesti ac vitiorum monstro, Catilinæ, accedere commendatio, an major infamia, queat. Major Nostro solidæ laudis gloriaq; supellex, quàm ut iis enarrandis immorari liceat, quæ communiam multis sunt, quæq; fortu-

na

na debentur. Non satagit sibi gloriam parare Noster ab accepta Romæ lucis usurâ, cum ut daretur curare penes ipsum non fuerit. Sed à salute, libertate, gloria patriæ redditis. Non curat splendore natalium inclarescere; nisi majore, quàm ut accessionem ullam recipiat, posteris parto. Verùm quod iis, qui preciosa varietate fulgentia Principum conclavia ingrediuntur, idem & mihi usu venit, laudum Camilli principium circumspicienti. Undique mentis oculos certatim feriens virtutum fulgor in diversas partes contuentem invitat, atque adeò, quò potissimum eam, dubium habet atque suspensum. Sed ne in initio ejus rei faciendo moras nectam, cujus exitum invenire difficillimum erit; singularem Herois nostri, bello pariter atque pace, Prudentiam primo loco producam. Hæc enim cum virtutum omnium quasi quidam complexus, certè basis atque fons sit, justam reliquarum dicendarum expectationem faciet. Nec unquam non prudentissimos Roma viros genuit; Nec unquam aliàs, quàm Camilli ætate, minus orba his filiis fuit; nondum effœtâ senio malisque moribus civitate. Ast quantum inter hos Noster emineat, negotia, reliquorum opprobria eadem hujusque trophæa, abunde loquuntur. Quibus alii omnes fessi fractique succumbebant, quæ Rem publicam morâ suâ labefactabant, quæ civitatem funditus everfam dabant, hujus auspiciis celerrimè conficiebantur, hujus solertiâ profligabantur longissimè. Vciji testes, & quantum consilio valuerit Noster, & quantum præ cæteris. Obsidebat complures jam annos, insolitâ virtuti Romanæ morâ, Vejos, urbem potentia Romanæ æmulam, miles Romanus. Tædebat non modò, ipsâ diuturnitate, & quod præter morem hybernandum in castris erat, molestæ obsidionis; sed & pœnitebat, metu ig nominæ, sire infectâ solvenda esset. Ad infelicem militiæ foris successum accedebat hostium, quorum coronâ veluti civitas cingebatur, domi terror. Augebat hunc, hostilem animum invitans ob remotû ab urbe longinquâ militiâ juventutis robur, invadendæ ejus opportunitas. Modò in castra nunciabatur, exercitû Romanum à Faliscis Capenatibusque casum: Modò omnem Hetruriæ juventutem haud procul inde abesse. Romæ, castra ad Vejos jam oppugnari, jam partem hostium tendere ad urbem agmine infecto, credebatur. Hinc miles agre in castris à fugaretentus. Hinc in urbe concursus in muros, trepidatum tota civitate, precibusque à Diis petitum, ut exitium ab urbis tectis, templis ac Romanis moenibus depulsum, Vejos averterent. Tot Tribuni militares, tot jam annos, conjunctâ operâ, quos antea singulos pares credidisses, frustra in oppugnandâ hosticâ urbe sudaverant.

A 2

Tandem

Tandem, necessitate consultrice, Romani unicum salutis suæ portum, unius imperium, spectantes, rerum summam uni Camillo, quod unus tantæ moli par erat, deferunt. Ostendebat Magistratus Virum. Ostendebat summus summum. Ostendebat Dictatura Camillum. Ostendebat capacem summi honoris. Ostendebat parem maximo oneri. Ostendebat patriæ. Ostendebat hostibus. Non ignorabat, quid sibi oneris impositum esset; tota jam Republica, eaque afflictâ admodum atque tantum non confectâ, in se reclinate. Noverat Furius, quid rei militiæ bene gerendæ intersit, sanctam atque inviolatam militarem disciplinam servare. Et majorum instituto, quibus nihil istâ antiquius, & proprio usu edocto, noverat. Nihil igitur prius habebat, quàm in eos animadvertere, qui in illo totius patriæ pavore castra deseruerant. Indignabatur timidum militem animosus Imperator. Indignabatur desertorem patriæ civem Dictator patriæ amantissimus. Ne hostis maximè timendus esset, ipse, prudentissimo consilio, magis timeri voluit. Timebatur magis, quia certius, quia ignominiosum, pro glorioso ab hoste metuendo, dolorem inflicturus. Nec solo tamen metu fidebat; pessimum illum ad diuturnitatem custodem esse, minimè nescius. Diserto Ducis alloquio milites maximè moveri compererat. Indictio itaque ad diem certum delectu, ad confirmandos, quos metus sollicitabat, nec dum tamen fide dimoverat, militum animos intercurrebat. Inde Romam adscribendum novum exercitum recurrebat; dispensatis prudenter ac parcè temporibus, ne rerum agendarum multitudo pondusve celeritatem, momentum ad belli negotia maximum, morarentur. Exercitu tandem ab urbe educto, apertoque per victoriam, adversus Faliscos & Capenates summo consilio atque prudentiâ partam, ad Vejos itinere, in castra redibat, virtutis atque gloriæ suæ campum amplissimum. Quo simul ingressus erat, omnium primum, ut tutus ab hoste exercitus esset, providit. Hunc in usum densiora castella facta, severiusque coercitâ procurvationum temerariarum inter murum & vallum licentiâ, edicto, ne quis injussu pugnaret, miles ad opus traductus. Inde proximam hostis atterendi curam habuit. Heic demum dexteritas Imperatoris eluxit. Heic demum patuit, quantum vir summus consilio valeret. Eodem nitetur, quo Decessores; sed diversâ viâ. Finem probabat: Damnabat media. Sumpti frustra laboris, non fortunæ, sed imprudentiæ culpam esse, solerti ingenio deprehendebat. Consilium igitur ipse capturus, naturæ id hosticæ urbis accommodandum statuit. Erat hæc naturâ juxta atque opere munitissima. Cives frequentes & bellicosi. Ani-

mi

mi prosperiore hæc fortuna, loci situ, militum mansionibus, corporisq; curandi commoditate ferociore. Ad hæc arcem urbs ostendebat validissimam. Hæc captâ urbe receptaculum futura Venti, ne diutius exitum belli moraretur, metus erat. Hanc vi invadere, dubii res eventus; dubii autem? Imo certioris in partem Ventientium erat. Consultissimum visum, cuniculo viam in arcem facere. Patere ita ex arce in urbem aditum, maximumq; oppidanis incussum iritorem, spe refugii omni præcisâ. Igitur confestim, cuniculus in arcem hostium agi cœptus. Operum id omnium longe maximum ac laboriosissimum ne continuo labore sive eodem conficeret, sive omissum belli eventum retardaret, in partes sex munitorum numerum divisit; senis horis in orbem operi attributis. Ita via in arcem munita. Ita Veji capti. Ita Romani molestâ, sumptuosâ, periculosâ obsidione sublevati. Ita accisâ tot annorum impensâ publicâ, privatâ opes, uno die, unius solertiâ, nō modò recreatâ, sed & ultra pristinam fortunâ immane quantum auctâ; tantâ prædæ vi captâ, quanta non omnibus in unum collatis antè bellis fuerat. Tantumne ad belli eventum, in Ducis providentia momenti esse! O vim prudentiæ! O consilii usum omni corporis robore, animi impetu majorem omni! Sit miles gregarius copiosus, sit fortis, sit dicto audiens: Dum pollens consilio Imperator absit, hostibus ludibrio, sibi ipsi exitio sit, oportet. Vicissim detur hic exercitui cladib; attrito, trepidanti, ulteriori militiæ subducere se paranti: Omnia è diverso se habebunt. Desperaverant in præsens Romani secundum eventum, votorumque summa erat, non cœpisse exitiosum Reipublicæ suæ bellum. Præstitit provida Camilli industria, ut non modo ne pœniteret amplius diuturnæ obsidionis, sed ut publicæ etiâ gratulationis materiâ amplissimâ civitas haberet. Quin nunquam non consilia ejus probata secundus, spreta infastus comprobavi. eventus. Ut æquis spaciis prosperâ consiliis Romanis successus & Camillus disjuncti. Ut fatalia patriæ exilium ejus, hostibus imperium fuerint. Postulabat ordo, rei que dignitas merebatur, ut de civili nunc prudentia pluribus exponerem. Huic enim virorum robur, huic ærarium, geminum Reipublicæ columen, restitutum in acceptis refert civitas. Verum ne prudentiæ alienæ præco ipse imprudens patientiæ vestræ, exigentisque brevitatem instituti, rationem habeam nullam; malo in præsens, quod deinde sapius faciendum erit, quædam omittere atque ad Heroicum profus Nostri Religionis studium accedere. Plures paganorum ad primum obtutum pietatis atque honesti amore Christianis non ambigam facere, sed præripere palmam credas: Quos si curatius excusseris, merito suo in suspensionem voces, non nisi obtentui habitæ virtutis.

B

Præse-

Præferebat Africanus Scipio religionis curam planè inusitatam. Ad publica, ad privata negotia religioni ducebat ire, nisi moratus antè in templo Iovis Capitolini fuisset. Sed inter gloriæ atque magnitudinis suæ instrumenta superstitionem habebat. Jove genitum credi se gestiebat, non ignarus, quantum ad res aliorum momenti contulisset ementita divini generis opinio. Quis non castitatem, atque continentiam Magni Macedonis, quis non moræ impatentiam in rebus gerendis, admiratur? Verum facta hæc, uti ex usu erat, fuisse, non negabit, qui alia ejus comparaverit. Nū in castum pectus cadit, vilissimi scorti amori adeò indulgere, ut ejus in gratiam superbæ magnifico opere regiæ facem subdat? Num ita moram abrumperè prudentis est, ut immisso morbo retardanti Numini succenseat; lascivæ mulieri, in ipso efflorescentis fortunæ articulo, plurium dierum otium gratificetur. Camillum simulatæ pietatis absolvunt præmij, si ab animi tranquillitate abeas, nullius expectatio, periculorum atque damni, ejus causâ faciendi, contentus, adque omnem fortunæ faciem idem in Deos animus. Ne hujus quicquam dubiū relinquatur, agite, Auditores Optimi, certissimis factorum argumentis idem mecum colligite. Primum Dictator adversus Vejos designatus, satis jam omnibus, quæ humanæ opis, ad usum ejus belli paratis, imparatum tamen se judicavit, nisi divino exorato Numine. Ludos igitur magnos facturum Vejis captis, voti religione se obstrinxit, ædemque Matris refectam dedicaturum. Sed satis non videbatur, auspiciatum à Deorum cultu esse, quorum opes ad perficiendum opus vel maximè. Fuderat jam prælio hostem; exuerat castris; ingenti prædâ potitus erat; ducto ad Vejos exercitu, moenia, densioribus castellis factis, cingebat; cuniculum in arcem hostium egerat: victoria in manu erat. Nec tamen sine Numinis præsidio quicquam actum, satisve se tutum credebatur. Denique igitur vota nuncupat Apollini Pythico, decimam prædæ partem pollicitus. Iunonem Reginam, quam Veji colebant, supplicibus evocat precibus; Romam invitat; dignum amplitudine ejus templum vovet. Nec finem pietati Camilli imponebat res jam ex voto gesta. Ipsa ex sententia confectæ rei felicitas sensum Deorum faciebat. Finis jam sanguinis erat, dediti inermes, jussuque Dictatoris ad prædâ discurrebat miles; cum hæc major aliquantum speatque opinione, majorisque precii rerum ante oculos ejus fertur, movetque adeò, ut Deos veneraretur, invidiam deprecans, minimo suo populi que Romani damno placandam. O amicam virtutum certamen! O pii animi moderationem! O moderati pietatem! Comperita jam luculentis rerum prospere gestarum experimentis Camilli religio erat. Diversum sibi campum, res adversas, deposcebat reli-

giosu

giosus animus, ipsâ hac varietate fulgentior futurus. Incurrebat dum omni ope enititur, ut Vejentani voti religione populus ex solvatur, quævis utilitate suâ metientis plebis invidiam. Insurgebant Tribuni plebis, turbulenti semper homines; diem dicebant, in exilium ire cogebant; absentem quindecim millibus gravis æris damnari curabant. Quid Camillus? Pœnitebatne eum actæ damno suo Deorum curæ? Minimè verò. Quin potius auditam, quam DEORUM cultu meruerat, sententiam, precibus ad eosdem fuis excepit, precatus, si innoxio sibi id injuriæ fieret, primo quoque tempore desiderium sui ingrata civitati facerent. Reliquum religioso CAMILLI animo, prosperis primò, post adversis rebus probato, ultimum experimentum erat, serena fortuna post nubila facies. Patriam cum à Gallis liberasset, sequens ipsum eripuisset ab exilii calamitates, omnium primum, quæ ad Deos immortales pertinebant, in senatu retulit. Dein cum Tribuni assiduis plebem concionibus agitarent, ut relictis ruinis, in urbem paratam, Vejos, transmigrarent; in concionem ascendit, atque prolixè verbis factis, Patriam, & victoriam, & antiquum belli decus reddita, DEORUM munus interpretatus est, horratuque populum, ne ingrati ingens hoc DEORUM beneficium, non agnoscerent. At enim inquit aliquis: Itane verò laudem meretur commentitiorum DEORUM cultor? Quæ igitur in re vituperio relinquatur locus? Habuit curæ religionem Camillus; sed ut satius esset, non habuisset. Facit quidem, fateor, mentis in Camillo error, ne salutaris pietatis studiosis componi idem possit; plurimis præferendus, hic si abesset. Non ideo tamen excidit laude suâ animi affectus. Absque hoc enim sistit, quæ sitissima veri DEI notitia, ipsâ perverfi hominis culpâ, in exitu certioris materiam vertit. Vos, seculi nostri, heu! infamiam, pestis perniciosissima, Athei, argumento ejus rei estis evidentissimo. Innotuit vobis, quæ nostrorum temporum felicitas est, & divinum Numen, & divina voluntas, revelatione divina. Numquid tandem facti eam ob rem meliores estis? Imò, proh! impietatem, ipsâ rerum divinarum notitiâ ad malitiâ abusi, Deum divinaque omnia contemptui habetis. Ut omnino, lippientium ad instar, majore luce obscurari videamini. Insurgat certè adversus vos, damnabitque in novissimo die Camillus; qui si verum Deum non ignorasset, absolutum extitisset pietatis exemplar. In Deum quomodo animatus fuerit Camillus, dictum paucis est. Patriam Deum affectu proximam se habere, opere testatum fecit. Subierat ob religionem injurias gravissimas: In patriæ emolumentum oblivioni dabat. Deorum causâ furentes cives non timuerat: Patriæ in gratiam ferum

B 2

ho

hostem contemnebat. Non nobis solum nascimur homines. Parentes, liberi, propinqui bene magnam nostri sibi partem vindicant; Maximam ipsa patria. Heic vitalis auræ initium lucisque usura data, heic imbecilli coepta primum vitæ anni exacti, sapientissimo Numinis consilio, tenerrimum amorem ingenerant. Ut humanitatem exuisse videatur, hunc qui minus sentit. Rarissima equidem horum in populo Romano exempla, patriæ ante omnes amanti. Vix tamen intotâ hac gente, qui Camillum æquet. Loquitur id atrocissimarum civium in patriæ gratiam posita injuriarum memoria. Loquitur, ut cætera ejus præclara, in comparabilem in patriam amorem renata, quæ jam occiderat, Romam. Clarus jam meritis in patriam, præsertim ob sublevatum obsidione Vejorum, quos ceperat, auctumque inde ingentibus opibus P. R. illo ipso beneficio exilium, gravemque multam, apud ingratorum multitudinem commeritus, agebat Ardeæ: Cum nuncius afferebatur, captam à Gallis Romam; victam hæcenus semper victricem. Narrabatur, devastatâ misere urbe, cæsisque qui in ea reperti, compulsos in arcem reliquos, urgente commeatus penuria, vitam pactos ingenti pecuniâ esse. Ferocem felicitate hæc suâ Gallum, recusantibus iniqua pondera victis, injuriæ insolentiâ addita, strictum enses lanci ponderibus onustæ adiecisse, inque ignominiosam vocem erupisse; Væ victis esse. Quid ad ista, Auditores, Camillo animi fuisse coniecit? Transversum vindictæ delinimentis actum latatumque, credo, existimatis. Atrocis scilicet injuriæ, quâ offensus erat, ultores sibi Deos gratulari habebat. Ille verò nihil minus, quam gaudia agitabat. Quin potius nimium quantum indoluit; ut publico abstinerit. Interim in omnia intentus, opportunitatem auxilii infelici patriæ ferendi captabat. Quam, adventu Gallorum Ardeam nunciato, nactum, in trepidam Ardeatium concionem, quasi divino instinctu percitum, in patriam pietas agit. Ibi animos pavidorum adversus imminens periculum firmat, hortatusque ad suam ipsorum defensionem Romanorumque auxilium, in hostem ducit, ingenti que strage editâ, Romanis libertatis recipiendæ spem facit. Qua hi impulsæ cum summo Magistratu delato ab exilio revocatum implorarent, ne exprobratâ quidē injuriâ, qua ipsum affecerant, illico pariter, quantum patriæ amori privata quæque posthabenda censeret, luculenter testatus. Proh piissimum in patriam civem! Proh dissimillimum nostræ tempestatis! Nunc, vitis in mores abeuntibus, simplicitatem, ut lenissimè dicam, ducimus hunc ad patriam respectum. Levissimè offensi, sæpius injuriam fingentes, ut vel e trivio obtentus suppetat, patriam deserimus, ad hostem transimus, optimæ parenti exitiosa quæ-

quæque machinamur. At quid offensam, quid injuriam memoro? Nunc modico stipendio, nunc cæco affectu, quin, proh! scelus, inhiante civium fortunæ libidine impulsæ, infensissimo hosti nefariam operam addicimus. Nec Turcam, infestissimum Christiani nominis hostem, copiosus Europæus miles, minimè Germanus, deficit. Sed tædet in sæculi sordibus hæere, quæ vel recordanti incutiunt pudorem, gemitusque exprimunt. In ipso Romano populo consortes immeriti exilii Camillus habuit bene multos: Qui eodem cum ipso animo illud tulerit, qui eodem cum ipso in patriam manserit animo, ne quidem unum. Etenim quamvis nostri sæculi impietatem detestabantur; atrocitati tamen injuriæ succumbentes, humani animi imbecillitatem non effugiebant. Ingentibus Vir animi doribus M. Coriolanus, per injuriam patriam pulsus, tantâ in eam exarsit irâ, ut militem se hostibus obtulerit, ab iisque Dux constitutus, infesto ad urbem ducto exercitu, eandem obsederit. Ulciscatur Coriolanus patriam armis: Camillus beneficiis. Patriæ hostem ulciscendo, patriam ipsam ulciscatur; vindictâ quovis triumpho splendidiore. Minus Camillo suo debuisset Roma, si solâ in ipsam voluntate alios ante ivisset. Ne ipsâ etiam re non à tergo eosdem relinqueret, præter cæteras virtutes incomparabili ejus fortitudini transcribendum. Militabat adversus Æquos & Volscos sub Dictatore Posthumio Tuberto; Cum acerrimum cum his prælium materiam virtuti ejus præbuit uberrimam. Ordine se tenere non sinebat pugnandi ardor. Rapiebat equo vectum ante aciem generosus fortis animi impetus. Timere hostem flagitium, exspectare desidiam putabat. In currebat in hostem non appetentem. Lacescebat non lacescitus. Locum pugnae, theatrum singularis virtutis, dignæque, cujus utraque acies spectaculum celebraret, mediam inter utramque aciem arcem eligebat. Sed parum credebat, ad iisse intrepidè periculum, nisi fortiter idem sustineret. Sentebat Volscorum acie aggressus Furius, cum foeminis sibi re non esse. Petebatur undique, eminens cominus ingestis telorum ictibus: Certantibus Æquis, cui ferocissimi Romanorum occisi gloriam impertitur si fortuna esset. Sauciabatur tandè femur Camillo; Sed munitur pectus constantiâ firmissimâ. Maximæ fortitudinis argumentum, majorisq; materia idem vulnus erat. Etenim, revulso ex vulnere spiculo, animosior ibat in hostem. Quam gratum haberet, in pugna incidisse, delectu fortissimorum, quibus cum congregeretur, habito, testabatur. Nec dimittebat, quos aggressus erat, nisi infugam versos. Ira miles Camillus ostendit, qualis patriæ, qualis hosti futurus olim Imperator esset. Nec sefellit conceptam de se opinionem. Gratulatur sibi de Tribunatu ejus militari populus, dicendi Dictatoris

si privatus fuisset, bellam ipsi adversus Antiates decreverat. Ventum in pugnam locum erat, aciemque jam instruebat Camillus: Cum renunciarunt Centuriones, interventu novi hostis turbatos milites, segniter armis captis, cunctabundos & resistentes egressos castris esse. Quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnatos: Et agere inermem tantam multitudinem, nedum armatam sustineri posse. Insiliebat igitur alacris in equum generosus Dux, sapientissimoque consilio hortatus milites, signum dare jubebat. Parum tamen habebat, oratione animasse militem, nisi exemplum accederet. Pari igitur, quam insilierat, ex equo desilit alacritate, in hostem, proximoque signifero manu arrepto ac secum in hostem raptum, infer miles signum clamitans, rapit unam totam aciem. Ipse rem manu ita gerebat, ut ipsa specie terribilis maxime Volscorum animis, quocumque se intulisset, haud dubiam secum victoriam traheret. Consilio atque praelio devincendi hostes ad Camilli usque aetatem innotuerat ratio. An alia aliqua esset, ignorabatur. Excelluit Furius antiquis vincendi artibus omnes: Nova exemplum condidit nullum unquam imitorem sortitum. Iustitiam Faliscos expugnavit. Ut quod de iustitia dicitur, Hespero magis admirabilem esse, de Nostri maxime iustitia verum videatur. Obsidebat Furius Faliscos. Obsessi, munitionibus, quibus septem erant undique, confisi, usque adeo contemnebant circumfidentis conatus, ut praeter stationes in muris dispositas, togati per urbem reliqui observarentur. Nec fraudi ipsis munitionum fiducia fuisset, nisi extrema ludi Magistri accessisset perfidia. Demandabant communi praepetori, Graecorum more, Falisci liberos; ut iisdem a primis annis rudimentis contubernioque asvescerent. Hic insidias Faliscis comparano, liberos, ambulationis exercitationisque causa, de more extra portam quotidie educebat, brevioribus primum spatiis, deinde paulatim longius abducendo; ut in summam securitate metus omnis redderet expertes. Tandem pueri in medias Romanorum stationes deductis, Camilli accedendi compellendique copiam sibi fieri petit. Parent milites; proditorem in praetorium adducunt. Tum ille in medio consistens: Praepetor, inquit, & ludi Magister sum, meumque erga te favorem huic praeferebam necessitudini, ad sum, ut urbem tibi pignore horum tradam puerorum. Proh nefas! Proh scelestam orationem! Sed incidere bonus ille vir in sui dissimillimum. Foedum id audienti Camillo facinus visum. Igitur ad coronam conversus: sava res, inquit, bellum est, cumulumque secum trahit injuriarum & violentiarum. Sunt bonis tamen viris certae belli leges. Neque ita ad victoriam est in cumbendum, quin scelestum & impie factorum gratiam decli-

declines. Quippe sua virtute magnus debet Dux, non fraude res gerere aliena. Inde ad scelestam plagiarium atque proditorem: Non ad similem, ait, tui nec populum, nec Imperatorem, scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quae pacto sit humano, societas non est; quam ingeneravit natura, utrisque est eritque. Sunt & belli, sicut pacis, iura; iustaeque ea non minus, quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus, non adversus eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur; sed adversus armatos & ipsos, qui, nec laesi nec lacesti a nobis, castra Romana ad Vejos oppugnavunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti: Ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Vejos, vincam. Nec contentus erat verbis detestari, quae intra verba non subsisterat, perfidiam. Lictoribus imperat, istum denudent, manibusque post tergum illigatis, virgas & flagella pueris dent, ad cadendum agendumque in urbem proditorem. Senserant jam Magistri proditionem Falisci. Inde ingens luctus civitatem invaserat. Concurrere in muros portasque, amentium instar, nobiles viri simul ac mulieres, fortunam suam miserari, crines vellere, brachia ad caelum jactare, nebulonis Magistri perfidiam execrari. Cum nudum praepetorem pueri vinctumque adducunt, verberantes, Camillumque Servatorem & Deum & Patrem appellantes. Stupebant ad inopinatum spectaculum Falisci. Nec oculis, nec auribus satis credebant. Manabant repente gaudio lacrymae, quas terror publicus junctumque huic domesticum malum intercluserant. Omnis inperfidum civem diris, fide majorem omni hostis fidem quaesitissimis ad caelum laudibus tollerent, an mirabundo silentio encomiis superiorem venerarentur, ambigebat. Vocibus tandem distisi, benefico iustoque supra fidem hosti insperatam & ipsi remunerationem decernunt, deditionem subjectionemque spontaneam. Igitur mora omni abrupta, Legatos, qui se suaque dedant CAMILLO, mittunt. Proh iusti! amorem! Proh odium perfidiae. Proh virtutis fiduciam! Quid alia secula, quid aliae gentes omnes habent, quod ostentanti CAMILLUM suum, iusti studiosissimum, Romae opponant? Certum quicquid ad speciem simile historiarum monumenta celebrant, penitus inspectum aut multum infra magnitudinem iustitiae Furii subsidet, aut solum simulantis animi prudentibus prodit. Tenebat jam urbem Noster, dum filios Principum tenebat. Adeo tamen scelus, etiam in hostem, horrebat, ut vel maximum emolumentum mereri noluerit, illud in usum suum vertendo. Ita patriae tutanda atque locupletanda satagebat, ut honestam ejus famam, ut virtutis atque aequitatis gloriam minimam negligeret. Ita patriae bono prudentissime casus quosvis in sapientiam vertebat, ut reipublicae generis humani, cuius unicum vinculum fides

est, consultum mallet. Ita civibus studuit, ut hostibus non ultra, quam illorum salus exigebat, nocuerit. Nec boni tantum atque æqui studium in Nostro summum hostibus prospexerunt: sed vel maximè ejusdem Clementia. Non excludebat patriæ studium humanitatis amorem. Illi postquam litarati, hostium sanguinem fundendo; hujus etiam sacra peragebat, hostes servando. Vei monumentum utriusque. Simul armatorum cæde securitatem suis pepererat; per præcones curabat edictum, ab inermi ut abstineret. Parcus adeo humani sanguinis erat, ut tam molestæ diuturnæque obsidionis, tantæ cladis, quæ rem Romanam attriverant Ventes, memoriâ nihil accensus, ultra necessariam securitati suorum cædem non progrediretur. Quin usque adeo conspirabant, an concertabant, patriæ necessitas benignaque natura, ut illi hac se submitte, huic illâ secundas concedente, & hostes pugnantem interfecerit strenue Camillus, & illacrymatus eorundem cædi fuerit. Præferbat eandem bonitatem MACEDO, incolumitate Darianæ familiæ datâ, jactans: Cum calamitate bellum se non gerere; armatum esse oportere, quem oderit. Sed dabat incolumitatem Regio sanguini. Dabat iis, quorum reverentia suam stabiliri atque augeri non absurdè credebatur. Dabat callidè; non clementer. Regiæ dignitati consulebat: Non parcebat naturæ humanæ. Alium Batis Tyrii; experti; alium Taxiles atque PORUS. FURTIUS vel vilissimi sanguinis parcus, non civium modò, verum ipsorum etiam hostium, feryator meritò audivit. Radiabat hoc splendidius virtutum maximarum ornatu Camillus, quo illa ipsæ ob animi Celsitudinem pariter atque moderationem fulgentiores extiterunt. Cum virtutis fastigium cum nemine sibi commune esse non ignoraret; gloriam tamen communicare non recusavit: Contentus omnium virtutis modum excessisse, etiam si æquatò videretur. Adeo magnam Nostro præter virtutem nihil, ut cum virtutem, quod eâ æquabatur à nemine, invidere non posset, quæ infra hanc, non invideret, quod contemnebat. Quin potius in communionem fructuum virtutis suæ immerentes admisit. Commeruerat L. FURIUS, ut gravius in eum consulisset Senatus Populusque Romanus. Iuvenili pugnan- di fervore toties expertum veterani Ducis consilium contemserat, imprudentiaque suâ in discrimen rem Romanam conjecerat maximum. Restitutæ erant CAMILLI operâ inclinatæ jam res, aucta que hujus gloria; & sprete mutati que consilii infelici eventu, & huic allatâ medelâ novo præconio CAMILLI prudentiam decantantibus. Stabat per hunc unum, quid de Collegâ fieret: sive silentio certò accusatûræ plebi locum relinquere, sive jure suo uti, Collegamque agere malè gestæ rei mallet. Sed neutrum elegit C A-

MILLUS

MILLUS. Invenit, quo utrumque declinaret, magni illius animi magna moderatio. Collegam denuo designabat, honorabat, periculo eripiebat, à quo detractum sibi in castris esse non ignorabat. Nimirum ea verè celsi animi conditio, injurias, velut Catuli morsum leo, contemnere, beneficia reponere, à vindicta abhorre, ac emendare malle. Eandem animi magnitudinem vel maximè in honoribus, quos summos gessit, dedit demonstratam. Fortunæ heic partes nullæ; præter quòd in æquos tantarum virtutum æstimatores incidit. Minus ambitioni cedit. Gratulabantur namque sibi Ordines omnes de Magistratû Camilli, non semel in invitum collato. Morum gravitate honorum suorum auspiciam, sanctissimum Censuræ Magistratûm, promeruit: Non citra omen, qualem in aliis se gesturus esset. Tribunus militaris Consulari potestate septimum lectus; tertium Interrex creatus; quintum Dictator dictus est. Consularem dignitatem virtuti Camilli fortuna, quod unum poterat, invidebat; ne id quidem valitura, nisi modestia Camilli, pariter atque prudentia consensisset. Nempe dubius Reipublicæ status erat. Dissidebat à Patribus plebs. Hinc obstabat eadem, ne Consules crearentur, Tribunosque rebus præficeret. Horum enim propter numerum, tam etsi & Consulari auctoritate, & potestate essent, minus in plebis oculos incurrebat imperium. Quippe quos paucorum offendeat potentia, his minus molestum erat sex viros, quam duos, Rempublicam tenere. Habuit quidem, civitas medio tempore subinde comitia consularia, patuitque adeo Camillo ad Consulatum aditus, cum potissimum id temporis gloria rebusque gestis omnium maximè floreret; nisi ipse noluisse. Tanti scilicet honores magnanimo Heroi non erant, ut quibus majores meritis erat, invito populo capere sustineret. Non idem apud omnes virtutis præmium. Quæ in admirationem pariter ac venerationem bonos trahit, in rabiem agit lividos. Hinc æmulo gradu virtutem, cum honore invidia insequitur. Minus enituisse Nostri virtus, absque hac si fuisset. Magis fortunæ honores deberi, non absurda fuisset opinio. Patricia gentis vir & inclytæ famæ, M. Manlius, ob servatum Capitolium Capitolinus cognomine dictus, cum nimis animis reliquos Principes sperneret, uni invidebat, eximio simul honoribus & virtutibus, M. Furio. Age verò Manli, dic tandem, quid est, quod te tantopere excruciat? An indignum honoribus summis Camillum perhibebis? Id ne audes quidem. Adeo vel te, iudice dignissimus est. Solum eum in Magistratibus esse ægre fers? Non ægre fert populus, qui invito Magistratus ingerere, de gerente sibi gratulari, esse salutis suæ consulere, persuasum habet. Tantum jam eminet, ut iisdem auspiciis creatos, non pro Collegis, sed pro minister

D

nister

castris habeat? Tui dissimiles, Manli, isti M. Furii Collegae sunt; candidi virtutū aestimatores, non invidi. Certant humanitate ac modestiā cum eo, quem ceteris virtutibus superiorem agnoscunt. Tribuunt soli communia, cui propria communicare solenne erat. Adeo non invident, ut si vel maxime patriā tantum non interfuisset, quā tu turbare ambitione tuā non dubitasti, virtuti tamen suam apud ipsos precium constitisset. Mirum, quare albas quadrigas, cum Iove communes, quanquam ante CAMILLUM a pluribus intrūmphis adhibitas, in solo CAMILLI triumpho limis tuis oculis non videris. Sed credo te cognomento tuo, quo minus objiceris, prohiberetur. Verum pudet invidiā MANLIUM, Auditores: Hinc amulsi personam induit, vitium dissimulaturus nomine. Adeo fallax virtutum vitiorumque affinitas est, ut laudem, ut veniā quae merentur, vitio verti, vituperio digna, laudibus extolli, minimum excusari queant facillimē. Quid autem, Capitoline Manli? Tua ne cum M. FURII gestis componere non vereris? Quò te ambitio rapit? Capitolium a te atque arx servata? Quod sine gravi impietate omiti non poterat, quodque cuius tuorum commilitonum, si fors ita tulisset, proclive erat, unicum Gallum de rupe praecipitem egisti. Si quovis modo servasse gloriosum, ipse in periculum venies palmae, cui inhias, vel ab anseribus tibi eripiendae; absque quorum clangore fuisset, nec tu potuisses servare. At enim armatos Manlius capientesque arcem depulit: CAMILLUS, inter aurum accipiendum & spem pacis solutis animis, aggressus hostes est. Adeo ne frontem perdidisti, Manli? Armati erant Galli. Sed cum tu aggredere, non usui arma, sed oneri atque impedimento erant. Vnus in summum rupis evaserat, adeo recens a scandendi labore, adeo eodem delassatus, ut, cum in extrema ora consisteret, non gladio opus, sed umbone, nec eo ad excipiendum, sed inferendum ictum fuerit, quo deturbaretur. Sed poterat operae non nihil patriae praestitisse videri: Verum obscurasti hoc quicquid erat gloriae, eo impudentiae, an imprudentiae, progressus, ut componere te cum CAMILLO non vereris. Num armatus Brennus non erat, cum Dictator interveniret, paciscentem vitam auro Capitolina Romanorum manu? Unde igitur gladius, quem recusantibus iniquum pondus Romanis, eidem adjecit? Sed nec tunc aggressus est. Fingis, Manli, ut securitatem hostis, spe pacis soluti, objicere possis. Sed ne sic quidem satis livori factum: etiamnum habet quod objiciat. Recuperata patriae gloriae pars virilis apud omnes milites est, qui simul vicere: Manlianae victoriae nemo omnium mortalium socius. Ain verò, Manli? Quod tu solus unicum Gallum dejecisti, CAMILLVS cum exercitu Gallos internecione delevit, id eo tua victoria, quam illius, potior? O hominis opinio-

nem

nem! O vim invidiae! Aliter sentiunt praesertim huius socii, qui, quod sibi non sumunt, nec tibi ullivē mortalium concedunt, invidendum alterius Romuli nomen, CAMILLO tribuunt. Est omnino, Auditor, ultimus a boni viri officio recessus invidia. Dolet ob aliena bona suffusus livore animus, ubi gaudere debebat. Latatur alienis malis, cum contristatum oportebat. Eo immerentes, quos seu virtus eminentior, seu benignior fortuna evexit, flagrat odio, ut innoxia, sapius Reipublicae salutaris, bonorum abundantiam offendentes, dum facultas datur, ulciscendi sit paratissimus. Adeo humanitatis, adeo publici boni respectum post habet & memoriam abolet omnem invidia. Est injurius, qui sacra aurifame ductus, alterum opibus exiit. Sed multum infra infamem invidi iniquitatem est. Credit ille se defectum eo, quod alii cessit. Hic laesum se existimat, quod alteri bene est. Persuasum ille habet, indigentiae suae si consulat, naturam id duce factum, quae sui cuilibet curam antiquissimam esse voluit. Hic commodo suo nullo alterum damnis maculare dum curat, quam aequi speciem praetexere habet? Adeo consummatum scelus est, ut obtentu destituatur. At quo modo rapit invidiae infectatio? Non est quidem certè, quo poterat sceleris atrocitas: At longius tamen fortè, quam apud vos, Auditor, opus erat. Disjuncta Camilli tempora vestraque; maiore intercapedine nascendi fors, quam ut invidiae apud vos adversus illum sit locus. Etis candor vester, ea in aestimandis meritis aequitas, ut cum nulli praemio suo quales quales defraudetis virtutes, tum summas Camilli, dum cum quovis antiquorum exemplorum comparantes, pares sive magnitudine sive numero non inveniatis, stupentes adoretis. Quis enim veterum, quem tot tantaeque virtutes ostentent, quem tot tantaque gesta fama buccinae de praedicent, quem togae pariter sagisque gloria in summum fastigium evexerit? Devicit Alexander ingentem gentium numerum. Sed nec patriam defendit, nec ultus est. Quin potius, ambitione insatiabili, cives in ultimam barbariem rapuit, de gloria cum quovis dimicaturus, qui resisteret. Virtuti minus quam fortunae, debuit. Quicquid virtutis habuit, vinolentiae, crudelitatis, luxuriae, ambitionis criminibus conspurcavit. Pacis artium tantum non expers, bello semper, quam post victoriam, clarior fuit. Fert gloriam parium numero victoriarum praesertimque, quibus ipse interfuit, Caesar. Sed quantis sceleribus hanc felicitatem suam deturpavit: Impudicia, luxuria, libidine, rapacitate, dominationis abusu, arrogantia, incivilitate, Regni affectatione. Quinquies triumphavit: Sed decibus etiam, quibus ut moveret bellum, ingens honorum atque dominationis cupiditas impulerat. Imò de patriae libertate, quam perpetui Dictatoris nomine sub imperium accepit: Metu extorto civilis belli victoriae honore, qui, nisi ab-

D 2

hoste

hoste reportatæ, debebatur nulli. Triumphavit Camillus : sed hostem, sed patriæ victorem atque everforem victum atque internecione deletum ; decernente virtutis reverentia Senatu, applaudente ob salutem datam, patriam redditam, Populo universo. Belligeravit fortiter, prudenter, feliciter. Fortunam habuit reverenter ; hostes clementer. Patriæ salutem summæ curæ habuit, ut generis humani nequaquam negligeret. Romanæ urbis alter conditor, ob hoc priori anteferendus longissimè, quod illi amplitudini, illi splendori, illi libertati, illi potentia, ad quam tot seculorum decursu, tot bellorum laboribus, tot seditionum discriminiibus evaserat, non integri omnino anni gestis restituit. Ensem, quo ferox victoriâ hostis patriæ cervici ictum intentabat, jam jam abscissurus, in hibuit. Cives ab migratione prohibitos in urbe, continuit, atque semivista semirutaque ædificia ut restaurarent, iisdem persuasit. Honores non virtutis præmium magis, quàm materiam habuit : Non desideratis, qui negabantur ; qui deferebantur, admissis, atque ita gestis, ut vel gerendo novos mereretur. Verbo : M. F. Camillus virtute, rebus pace belloque gestis demonstratâ, Romanorum clarissimus. Atque ipsa hæc Camilli virtutum excellentia Vobis, Auditores, navatæ audiendo operæ precium esse, meque gratis agendis sublevare posset, si satis essent ex dignitate explicatæ. Quod factum esse, imo fieri potuisse, cum virium conscientia neget, maxime vobis me obstrictum esse, publicè profiteor.

Facultatem date : Voluntatem cui libet vestrum inser-
viendi nec deesse, nec defuturam unquam,
ipso opere experiemini.



PHILIPPUS BEC.
MANUS IN ELECTORAL.
HAC UNIVERSITATE BRAN-
DENB. PHIL. NAT. PROF. ORDIN. ET FACULT.
PHILOSOPH. h. t. DECANUS,
CIVIBUS ACADEMICIS ATQVE
LITERARUM ALUMNIS ET FAUTORIBUS
S. D. P.



Nobilitatem parare Virtus pariter magna, ac tueri, Posterisque transmittere. Maximè simul parare, simul tueri. Vetere tantùm Profapià & Imaginibus gaudere est nulla. Atque adeò ingenti dedecori. Quippe degenerasse. Nobilitatis cum Mater, tum Nutrix, Virtus clara, Reique Publicæ nobis. Quâ nititur; tanquam Fundamento superstructa, uti, subtracto illo, temerè corruat. Certè quo splendorem & sibi & majoribus Heroes dant: Eodem modo Nominis damnum degeneres Nepotes non faciunt tantùm; sed Majorum quoque claritas nisi obscuratur tota & deleatur, saltem bene minuitur. Quantum Boni, quantum Laudis, sibi ac Reipublicæ Virtutibus Parentes creâre: Tantum in simul Detrimenti atque Ignominia. Pondera nam Reipublicæ inutilia, immò valdè quam noxia, ad Fruges genuerunt depascendas. Feræ, Agros depopulatæ, quantum faciunt malè? Reipublicæ magis obsunt, qui Alimenta Literis & Armis Nobilium prærepta consumunt. Eorum putà, qui Reipublicæ Anima & Vita. Ignavum Pecus Fuci ubi prævaluerint, Apum Respublica pessumit. Et Hominum Societas, ubi Ignavi Nobiles, Divina Reipublicæ interitura Præfagia. Quod idem Clades Regnorum perorant, quæ eversa jam essent, Nisi Effeminatis Nobilibus Civium & Plebejorum Virtus subvenisset. Hujus *Romani* probè intelligentes fuere, qui Paternæ Virtutis memores, & se, & Parentes, & Patriam, æternis laudibus nobilitatos reddiderunt, ut æternum Imperium loquatur ipsum; Vel Literis oblitteratibus, obmutescentibus. Nec *Mutios* canam, *Horatios*, *Claudios*, *Marcellos*, *Brutos*, *Scipiones*, *Æmilios*, *Manlios*, *Manerras*, *Camillos*, & hos longè multùmque amplius, uti numerum inire liceat minimè. Qui omnes Nobilitatem à Majoribus paratam cum Posteris transmisserunt, tum auxerunt, & perennibus rerum monumentis commendarunt. Horum Imperium postquã ad se transtulere, ex illorum generosis Facinoribus sibi exemplum, adeò felix *Germani* cepèrunt, ut nisi evaserint ista, certè æquarint. Præsentis instituti ratio *Marchicorum* tantùm *Equitum* mentionem facere sustinet: *Iloviorum*, *Conigmarctiorum*, *Gottiorum*, *Cannenbergiorum*, *Fuliorum*, *Sparriorum*, *Goltiorum*, *Rochoviorum*, *Quastiorum*, Plurimis sicco pede transit: Qui Divis Imperatoribus

& Heroibus Principibus Brandenburgicis strenuè militare, ut variis Officiis ac Titulis, *Imperatorum Militarium, Comitum, Baronum, Chiliarcharum*, aucti, vel soli, *Romanorum Mutius, Horatius, Claudius, Marcellus, Brutus, Scipionibus, Aemilius, Manlius, Mamerris, Camillus*, idque genus cæteris, cedant nihil. Hinc & sibi ex *L. Furii Camilli* Virtutibus Exemplum sumsit, quas Publicâ Oratione ad ipsum Diem Quartum Calendas Decembres Horis Marutinis in Acroatorio Philosophorum Majore dicere secum constituit *Generosus ac Doctus Juvenis Gustavus Guiselmus de Rochavv, Eques Marchicus*. Scilicet Majorum Virtutes non æmulandas tantum, sed eadem quoque viâ duxit incedendum. Adeste, *Nobiles Quirites Literarii*, frequentes & pii Audituri, ut Generosi Commilitonis raras Conatus Præsentia & Adplausu vestro sublevetis. P. C. rem præstabit gratam, quæ Ordinem vestrum decet & commendat. Meis verbis *Oraturus* recipit, si acciderit quid, quod ad Vos pertinere arbitratus fuerit, se id daturum operam, ne à se quidquam desideretur. V. V. P. P. in Electoral. Univers. Brandenburgicâ, Adpresso Sigillo Facultatis Philosophicæ, Dominicâ XXIII post Trinitatis, Anno Mæssicæ supra millesimum, Sexcentesimo, Sexagesimum, Tertio.



A. N.
ANGELUS CLY-
PEUS

in
Illustri Lipsiensium Academiâ
publicè representatus

FRIDERICO GEISSLERO,
Reussendorff, Siles. Phil. Baccl.

Lipsiæ.
Typis BAUERIANIS,
MDCCLX.